

suis ante testes legitimos ingenua dimittatur; ad iunctos filios et matrem illorum det hereditatis suae quartam portionem; nam amplius quarte portionis naturalibus dare non potest. Quod si filios de legitima uxore habuerit, nullatenus ei relinquere liceat naturalibus filiis, nisi duodecimam partem; undecim reliquae partes ad legitimos remaneant filios. Si vero pater moriens non reliquerit aliquid naturalibus filiis, ingenui sint sivi contenti; et non eos revocent¹ ad servitium legitimi filii.

X. Si quis iudex voluntate sua iudicaverit et edictum transgressus fuerit propter pecuniam et aliquem preiudicaverit, quadruplum quantum acceperit inferat fisco, et amplius iudex non sit. Quod si causam ipsam non preiudicaverit voluntariae, satis reducatur secundum edicti seriem.

XI. Si quis iudex miserit nuntium ad aliquem veniendi ad iudicium, et ad quem miserit venire contempserit semel et bis, et si tertio ad iudicis iussu non venerit ad iudicium, perdat causam et restituat debitori² suo quod ei debere constiterit. Et si forte praesens non fuerit, quando iudicis praecceptio ad domum ipsius venerit, aut infirmitas illum tardaverit, aut forsitan in causa regis fuerit occupatus, si de his tribus una occupatio fuerit super eum, non molestetur. Et si postmodum venerit, restituat debitum suum secundum regis edictum.

XII. Qui ad iudicium iudicatum non reddiderit debitum, et contempserit in duobus mensibus, interpellet creditor regem aut iudicem, qui transmittat sagionem cum ipso, et tollat sagio ille de substantia eius quod ipsum debitum possit valere, quantum creditori suo restituere iussus fuerat, et reddat creditori. Et habeat creditor ille pecuniam apud se, usque dum reddatur ei debitum suum, quod ei lex reddi precepit.

XIII. Si quis causam habet cum alio homine, sicut superius scriptum est, ad regem proclamet aut ad iudicem, quem rex constituit. Quod si prius quam interpellet pigneraverit, et tulerit ei unum caballum, componat solidos tres. Quod si bobem iugalem tulerit, det solidos duos ad hominem illum, cui caballum sibe bus fuerit; et quod pigneravit restituat. Si autem mancipium pigneraverit, cum tres solidis eum restituat domino suo.

XIII. Si quis donaverit aliquid alio homini peculium suum, aut aurum sive argentum, aes aut ornamentum, mancipia aut de peculio aliquid, non requirat postea quod donavit, neque vicissitudinem requirat, nisi quod ille sua voluntate retribuere voluerit. Habeat tamen testes duo aut tres ingenuos, testantes, quod illum non impromutuaverit, sed donavit. Si autem donator ille mortuus fuerit, heredes illius non repetant³ quod

1) 'revocet' d. Hs. 2) 'creditori' verbessert Gaudenzi. 3) 'repetat' d. Hs.